


MANDATUM RECTORIS.

NOS PETRUS FROMENTIN, Univerſi Studii Pariſienſis RECTOR, omnibus Doctoribus, Magiſtris, ac Scholaribus, SALUTEM.

Ut primùm LUDOVICUM è graviſſimo, qui ipſum ſimul & Galliam oppreſſerat, morbo recreari ac convaleſcere cœpiſſe, fauſtus ad nos pervenit nuntius; pro tanto confeſtim beneficio, extraordinariis Supplicationibus habitis, ſolemnes, ut par erat, Supremo vitæ ac mortis Arbitro gratias perſolvimus. Tùm AUGUSTISSIMO PRINCIPI in Regiam hanc Urbem effuſos inter Populorum plauſus Incolumi ſimul & Victori nupèr reverſo reſtitutam in integrum Valetudinem ac proſperos belli eventus cum cæteris Regni ordi-

nibus gratulati ſumus. Reſtabat, ut noſtra Univerſitas dulciſſimos lætitiæ ſuæ ſenſus pleniùs teſtaretur, ac geminum illud Divinæ in REGEM & in Regnum benevolentiæ pignus publicè dicendo celebraret. Hanc ad rem Selectus V. C. M. CAROLUS LE BEAU, in Collegio Graſſinæo Eloquentiæ Profeſſor, Orationem totiùs ACADEMIÆ noſtræ nomine habebit, in Exterioribus SORBONÆ SCHOLIS, die Jovis tertio Decembris, horâ poſt meridiem tertiâ. Die autem Veneris ſequenti, quarto ejuſdem menſis, ſolido & integro, jubemus Scholas noſtras feriari.

DATUM in Ædibus noſtris MAZARINÆIS, die Sabbathi vigeſimâ-octavâ menſis Novembris, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo-quarto.

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi, in Plateâ Cameracenſi.